



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

Prologus. Satis ampla potestas. Ex p. 7. tr. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)



consilii 386. num. 71. & docent Doctores citati à Garzia, & copiose Selua, de beneficiis, quæst. 1. per totam. Hæc enim plenitudine potestatis sequitur, ut ipse possit pensionem in beneficiis imponere sine causa vlla. Id quod confirmat Ioannes Nicolaus, quia vbi Papa disponit contra ea, quæ sunt iuris positivi, (vt est hoc, quod beneficia conferantur absque dimittatione) non fundatur in ratione naturali, vel diuina, sed tunc sola voluntas ipsius Papæ sufficit pro ratione, & pro causa, sicut multa statuit, in quibus sola voluntas sufficit, vt latè per Felipum in dicto cap. Ad audientiam. Quare cum Papa id possit, tutè etiam in vtroque foro poterit pensio retineri.

4. Et hæc sunt pugnantès sententiæ circa præsentem difficultatem. Ego, vt verum fatear, opinionioni Theologorum tanquam probabiliori adhæreo, non audeo tamen opinionem Canonistarum tanquam improbabilem damnare. Nec displicet etiam mihi opinio media Castri Palai tom. 2. tract. 13. disput. 1. punct. 11. num. 3. nempe, pensionem à Pontifice impostam sine causa validam esse, & securè à pensionario accipi, tamen si illicitè fuerit imposta, & à Pontifice debeat reuocari. Et quidem illicitam esse talis pensionis impositionem est manifestum. Tum quia generale est quamlibet actionem sine legitimo fine factam illicitam esse. Tum quia contra rationem est bona Ecclesiæ dispensare extra finem, ad quem fuerunt relicta, sed fuerunt relicta pro bono Ecclesiæ, & in augmentum fidei, & diuini cultus, vt de se con-

stat. Ergo distributio, quæ in bonum Ecclesiæ non cedit, qualis est impositio pensionis sine causa, illicita est. Quod autem valida sit, Probo: quia negari non potest dominium Ecclesiasticorum bonorum penes Ecclesiam residere, & consequenter penes Pontificem, tanquam illius caput, & superiorum. Ergo si Pontifex hæc bona alienat, validè alienat; tamen si alienationem ipse, & successor reuocare possint, & debeant. Deinde, citò Pontifex Beneficiorum, & Ecclesiasticorum fructuum dominus non sit, sed solum dispensator, & distributor, si tamen inter Clericos illa bona dispenseret, valida est talis dispensatio etiam sine causa; quia talis dispensatio non est in substantia contra voluntatem Ecclesiæ, & Christi, si quidem non est dispensatio extra Ecclesiam, sed solum in modo, & voluntate dispensationis, est contra voluntatem Christi; & Ecclesiæ. Quod exemplo prouisionis Beneficiorum confirmari potest: Beneficiorum enim collatio dignis facta, omissis dignioribus, illicita est; quia est contra bonum Ecclesiæ, & modum ab ipsa præscriptum: at talis collatio valida est, quia non contradicit substantiali eius intentioni, quæ est, vt ministris dignis collatio fiat. At si pensio non pro Clericis, sed pro Laicis imposta sit, & Pontifex solum sit Ecclesiasticorum bonorum ministrator, firma non erit ob rationem in prima sententia dictam; quia est contra voluntatem Ecclesiæ talis distributio, & alienatio.



## TRACTATUS TERTIVS DE POTESTATE EPISCOPORVM QVOAD DISPENSANDVM ET ABSOLVENDVM, vigore, Cap. VI. Sess. XXIV. Concilij Tridentini de Reform.

*ET ALIÆ DIVERSÆ DIFFICULTATES ET RESOLVTIONES  
ad ipsosmet Episcopos specialiter pertinentes: & etiam quoad prouisiones per concursum ad  
beneficia, Canonicatus, dignitates, &c. faciendas per Episcopos, Pontifices, & Reges;  
& pro admissione resignationis beneficiorum, & impositione pensionis  
super ea etiam in hoc tract. discutuntur.*



### PROLOGVS.

Ante Resolutionem primam. Tract. 2. Part. 7.



ATIS amplà potestas fuit concessa Episcopis à Sacro Concilio Tridentino in cap. 6. sess. 24. de Reformat. vbi sic habetur. Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex dilecto occulto prouenientibus, excepta ea, qua oriuntur ex homicidio voluntario; & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolica reseruat, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diocesi suâ, per se ipsos, aut Vicarium ad id spe-

cialiter deputandum in foro conscientia gratis absoluerè, imposita penitentia salutari. Idem etiam in heresi crimine in eodem foro conscientia eis tantum, non eorum Vicariis sic permissum. Ita Concilium Ego in gratiam Dominorum Episcoporum aliquas Questiones in hoc Tractatu occasione horum verborum agitato; ideo Quæro.

### RESOL. I.

*An Episcopus electus, & confirmatus, quathòis non consecratus possit vii hoc privilegio?  
Et quid est dicendum, si Episcopus tantum sit electus & non confirmatus?  
Et an hæc facultas non competat Episcopis carentibus diocesi,*